# DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA

De

# PALPITATIONE CORDIS.

*Quam*

D. T. O. M. A.

CONSENSV & AVCTORITATE

*GRATIOSISSIMAE, atq; EXCELLENTISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE*

In

PERANTIQVA ac CELEBERRIMA ACADEMIA BASILIENSI

*Pro*

SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS SOLENNITER CONSEQVENDIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI ſubmittit.

*Ad Diem Jun. Anno M. DC. XCIV.*

JOHANN. VLRICVS FELSIVS,
Lindavia-Acronianus.



BASILEÆ,

Typis, JOH. RODOLPHI GENATHII.

DEO
PATRIÆ
FAUTORIBUS
AGNATIS
PARENTI.





# Q. D. B. V.

## *De Palpitatione Cordis Disputatio.*




Itam in motu, & sanguine consistere, jam olim Pientissimus Ethnicorum Vates Seneca pronuntiavit, atque recentissime *splendidum illud Medicorum Lumen Vir Excellentissimus Joh. Jacobus Harderus Philos. & Med. Doct. Anat. & Botan. Prof. Publ. Seren. Principis March. Badâ-Durlac. Consiliar. atq; Archiater, &c. Patronus, Praeceptor, ac Hospes summè devenerandus* in eruditâ, quam Literarum Orbi de motu sanguinis Vitali nuper donavit, Dissertatione, ponderosis fundamentis insuper stabilivit.

In foetu sanè fibrae rutilae primùm conspiciuntur, sanguinem ad punctum saliens, nec dum conspicuum vehentes, ut hoc ipso dehinc pulsitante, vitalitas toti corpori impertiatur: in adultis, atque etiam recens natis, cor continua & aequali sanguinis versùs singulas corporis partes amandatione, vitam machinae nostrae evidentissimè tribuit, unáque particulas nutritias jugiter transmittere pergit, cruore reliquo vel lymphâ per singularia vascula remeantibus, ac partibus glandulosis aliis ex ejusdem penu, particulas varii generis ac texturae combinantibus ac secernentibus; ut non

 imme-

immerito Hippocratès Cor microcosmi solem vocâ-rit, cùm radiis suis, sive hoc ipso motu sanguinis vitali cunctas corporis partes fovere, & in actionibus suis animare videatur; Prout autem Nobilissimæ hujus partis actio, si ad naturæ leges perpendeatur, universæ machinæ conducit; ita è contrario, ubi vel satiscit, vel activitatis sphæram excedit, ruinam toti sæpius inferre solet, *ceu Palpitatio Cordis* sola, quam inpræsentiârum pro virium modulo ostendere annitar, ostendit.



## §. I.

ANtequam autem ipsam hujus affectus definitionem aggrediar, præmittam quædam, quæ circa vocis hujus synonymiam notanda veniunt; Palpitatio græcis dicitur παλμὸς, vocabulo à verbo πάλλομαι deducto, quod concutere, jectitare, vibrare significat; Latinis idem dicit, ac subsultio, subsilitio, quo verbo ipsum Scaligerum *l. 2. de plant. p. 344.* usum fuisse legimus: Aliis dicitur tremor, sed minus bene, ut in sequentibus videbimus; Lingua nostra vernacula audit, **das Hertzklopffen / das Hertzpochen.**

II. Homonymiam quod concernit, aliam magnopere non deprehendo, nisi quod ex Autoribus Practicis haud pauci hanc ipsam Palpitationem Cordis promiscuè considerant, & nunc pro Tremore Cordis, sive motu plus justo minori, ac tremulo, nunc pro motu plus justo majori, impetuoso, & vehementi accipiant, licet hi duo motus maximoperè differant, plurimumque intersit, ad hanc ipsam differentiam in praxi attendere.

Definiri

III. Definiri poteſt Palpitatio Cordis, quod ſit vehemens impetuoſa, ac iterata ventriculorum cordis vibratio, ejusdemque coni ad baſin violenta contractio, à re aliqua, fibras cardiacas irritante, originem ducens; ſeu, ut Veteres loquuntur, quod ſit motus cordis depravatus, ſimulque auctus. Patet proin affectum hunc *ſymptoma actionis depravatæ* eſſe, cùm reapſe convulſivi quid in tam violenta, ac inordinata fibrarum contractione muſculus cordis perpetiatur, dum à ſpiritibus impetuosè, ac magna cum contentione irruentibus, in juges contracturas ipſæ præter modum adiguntur, & ad motum reſtitutionis, ſeu intermediam quietem vix ac ne vix quidem devenire poſſunt.

IV. Dico *vix ac ne vix quidem*, cum hic ipſe motus ſuos habeat gradus, & differentias, atque in aliquibus ita fortiter palpitaſſe cor viſum fuerit, ut etiam vicinas coſtas effregerit, nec minus *auctæ actionis* ſymptoma erit aliis, ubi ad ſyſtoles ventriculorum cordis frequentiam attendere placuerit.

V. Partem affectam, ſive ſubjectum quod concernit, principale ac primarium ſtatuo eſſe *Cor* univerſim, hocque ipſo *cùm* auriculas ipſius fibroſas, *tum* fibras ejus muſculoſas, & carneas, cum intertextis copioſis nerveis intelligo, ſoletque cauſa irritans, nunc primum in *has*, nunc in *illas* agere: nempe muſculus eſt *cor*, & ſanguinis in totum corpus diſpenſationi à ſummo Opifice deſtinatum, atque ob hoc ipſum fibris motricibus densè conglomeratis inſtructum, animalium ſpirituum neceſſariâ cohorte per nervos accedente.

VI. Eſt verò cordis actio duplex, *una* quâ ſanguinem è vaſis venoſis refluum, inque ſuos thalamos receptum, ulterius propellit; *altera*, quâ eundem ex auriculis effuſum recipit: *illa* fit ope dictarum fibrarum

 muſcu-

muſculoſarum, ſpiritus animalis beneficio ſtrenuè ſeſe contrahentium, & cruorem, qui ſtimulaſſe quoquomodo potuit,& illius elaſticitatem intendiſſe,continuò evibrantium: *Hæc* verò earundem relaxationem inſequitur, quâ priſtinum, ſi ita loqui fas eſt, tonum recipiunt, atque à turgeſcentia ventriculi quaſi quieſcunt. *Vide ſis ſuprà jam laudatam Diſſert. Viri Excellent. Joh. Jac. Harderi Præceptoris mei æternùm colendi.*

VII. Hinc minus difficilè videtur explicare, in quonam Palpitationis *ratio formalis* conſiſtat; enimverò cum ſolitam vibrationis ſphæram transgrediatur, neceſſe eſt omninò, ut ventriculorum fibræ in crebriores, easque vehementiores contractiones adigantur, hisque ad ſe invicem propius adductis, mucro pectus fortiter feriat; adjungit Clar. Dom. *VVillis*, evibrationem aliquam, quæ contingat à vaſorum radicibus ad ſummum impletis, atque hinc cum impetu quodam exilientibus, ſanguine omni, qui in ſinus effuſus fuit, cum quadam contractione non expulſo, ſed vel hærente, vel verſus baſin regurgitante, ſicque noviter affluenti, vias præcludente, quod equidem contingere inficiari nemo poteſt, ubique autem nova ſtimulatio requiri videtur, ob quam fibræ cardiacæ, ſuo naturali tono vix dum reſtitutæ, in novas evibrationes impetuosè ſollicitentur, & hinc maximo niſu, quod moleſtum eſt, excutere annitantur.

VIII. Beatus *VValdſchmidius* in inſtit. Med. rational. p.114. vaſa cordi appenſa pro ſubjecto palpitationis cordis etiam accuſat: at vero in hiſce cauſa potius affectus tam moleſti latitare, ac hærere poſſe videtur, quàm ut adæquatum, ac proximum ipſius *ſubjectum* dici queant.

IX. Quibus ita præmiſſis cauſas *proximas*, & immediatas

diatas affectus hujus explicare aggredior ; Equidem Veteres ipsi *has* generaliter per facultatem cordis motricem irritatam exposuerunt : *Alii* Archeum in corde residentem irritatum , ac turbatum accusarunt, atque hi omnes verbis magis, quàm re ipsa sciendi avidos detinent. Liceat mihi dicere, quodcunque fibras cardiacas, sive *musculares*, (parenchyma cordis appellant alii) sive *nervos cardiacos*, horumque surculos , vehementer stimulans, & ad evibrationem continuam, atque inordinatam adigens, &c. palpitationem proximè ciere, ac producere posse, cujusmodi causæ, vel in *corde ipso* ac hujus thalamis hærent, vel in *vasis eidem* appensis stabulantur, vel denique *extra illud* constitutæ sunt.

X. In Corde, hujusve ventriculis, ejusmodi incommodum facessere potest *sanguis* maximè: quando non tam *copiâ* peccans, quàm *particulis luxuriantibus* prægnans insuper, in thalamos cardiacos copiosè, & cum impetu quasi irruit, fibrasque ad vehementem sui constrictionem incitat, quâ si non omnis, qui influxit, excutitur , accedente novâ ex auriculis quantitate, ilico in novas vibrationes se accingunt , & aliquâ ejus portione versus basin, ac auriculas redundante, palpitatio vehemens oritur , cujusmodi violentiâ costas vicinas diffractas, aut dislocatas fuisse supra innui, auditui sanè, visui, & tactui *hæc ipsa* sese facilè offert.

XI. Effectum eundem edere solet sanguis in orgasmum pronus, fervidus, ac facilè fermentescens, utpotè, qui non solùm motum majorem levi de causâ consequitur, sed particulis irritativis instructus juxta, fibras in vehementiores corrugationes jugiter adigit, sicque unà spasmodici quid inducit, ipsamque animalem auram in crebriores explosiones sollicitat : Ejusmodi quid

quid patiuntur, quos hypochondriacæ paſſioni obnoxios videmus, aut etiam fœminæ hyſtericis pathematibus addictæ, ſcorbutici item, ſanguine ſingulorum ſale plus minus volatili, acido, acri, &c. referto: Nec verò præter tationem Clariſſ. Willis in ſpaſmodica hac paſſione, arteriis cordi appenſis, culpam aliquam tribuendam ſuſpicatur, ſi forte hæ obſtructæ, aut fibrarum ſuarum ope arctius conſtrictæ, ſanguini, quem cor expellere nititur, liberum ingreſſum denegent.

XII. Nempe *ſanguis* ejuſmodi acris, particulis ſuis pungentibus non modo vellicat, ſed acido, quo turget, ſale, ad coagulationem, ac grumeſcentiam proclivis eſt, unde cùm in cordis ventriculis, tum arteriarum radicibus, obſtructio gravis non raro progignitur, itidem *ſanguinis* liberum, ac neceſſarium commeatum ſufflaminans; pariter ut polypus, aut heterogeneum aliud in corde contentum, noxam talem funeſtam cauſantur, atque tum *palpitatio*, morbum organicum, pro cauſa agnoſcere videtur.

XIII. Neque heîc prætermittendus, qui per vaſa coronaria affluens, ſecum impetu in ſubſtantiam muſculoſam cordis diffundit, aut etiam acrior, fibrillas nerveas per hanc ipſam diſſeminatas, graviter affligit, indeque in ejuſmodi vehementes motus, atque exploſiones cor ſollicitat.

XIV. Utut autem *cùm quantitate*, tum *qualitate* præprimis peccans ſanguis, & *mobilis nimium*, affectum iſtum producere poſſit, idem tamen ad motum ineptior, lenteſcens, & vappeſcens quaſi, eundem experientia, & ſanâ ratione teſte, pari frequentia progignit; enimverò in tali diſpoſitione, omnis, qui quâvis diaſtole ingeſtus fuit, non ſemper ejicitur, ſed partim in ſinibus reſidet, partim ſtagnare incipit, unde, dum

levi

levi accedente motu uberius influit, quàm ut subsequente systole expelli queat, circa basin, & vasorum radices magis aggeritur, & non modò ad sæpe dictas vibrationum iterationes cor stimulat, sed partes continentes insuper graviter intumescere facit: Exemplo sunt cachectici, & quæ chlorosi è sequiori sexu laborant.

XV. Clarissimus Etmüllerus *motum sanguinis præpeditum* accusat, Exemplo Foresti l.17. obs.1. ubi palpitationem cordis incurrit, qui somnum meridianum capiens tibias nimis constrictas habebat, hisque ipsis laxatis, ab illâ liberatus fuit; quamvis autem experientiâ constet, arteriam in membro ligato fortius pellere, quia tamen ejusmodi constrictiones sæpius etiam dolorosæ sunt, fluidi animalis irritatio prorsus hinc rejicienda non videtur.

XVI. Difficilius quoque explicare est, qui sanguinis defectus, effectum tam molestum in præcordiis excitare valeat, ceu exemplum suppeditat Excellentiss. Schellhammerus Epist. de pulsu pag. 67. Puellæ 19. annorum, epilepsiâ laborantis, quæ diebus quindecim, quibus decubuerat, vix tantum cibi vel potus assumserat, quantum alia soleret in leviculâ cœnâ, adeoque non poterat jam esse instructa multo sanguine, & tamen vehementissimas palpitationes cordis quovis paroxysmo patiebatur; at verò ipse hic Vir Clariss. subnectit ac confitetur, à nervorum fluido plurimùm cordis naturalem motum turbari posse.

XVII. Præter fluidi ἀδιάθεσιν, variamque intemperiem, etiam partis moventis mala conformatio, huic malo ansam dat, quò præprimis valvularum, papillarumq; carnearum in uno, alterove sinu, majorem duritiem, ac quandoque *osseitatem* referendam censeo, ceu mitrales valvulas osseas planè vidit Excell. D. D. Joh. Jac.

Harderus, demonſtrante p.m. Glaſero, in cadavere puerili; conſtans etenim eſt cordis actio, cui ſingulas iſtæ partes velificari natura voluit, & propter harum texturam læſam, motum ejuſdem variè vitiari neceſſe eſt.

XVIII. In *vaſis cordi appenſis* cauſa hæret, dum vel coagulatus *ſanguis*, vel *polypus* graviter illa occupat, pariter ut in thalamis cardiacis ipſis Anatome crebrius illos demonſtravit, & haud ita pridem in ſectione publica, portentum ejuſmodi vidi, utrumque ſinum implens, & per arteriæ pulmonalis ramos univerſim expanſum; qui autem ejuſmodi hoſpes generetur, fuſius hic diſquerere inſtituti ratio non patitur: vide ſis quæ de hiſce elegantiſſimè inſuperque accuratiſſimè commemorat Celeberrimus ſupra jam laudatus Harderus Apiario Obſerv. LVI. p. 231. quandoque *ſubſtantia pinguis*, inſtar adipis in thalamis cordis aggeritur, & non rarò etiam arteriæ circa radices ſuas oſſeam naturam induunt, ex quo utroque affectus iſte facilè pullulat.

XIX. Ex iis, quæ *extra cor* exiſtentia, affectum hunc inducunt, aliqui *flatus* pericardio incluſos aſſumunt; at verò cauſam hanc pariter raram eſſe arbitror, atque pericardii *vermes*, quos alii adducunt, quorum obſervationes irritas reddere, ego ſufficiens non ſum: *tubercula*, vel alia cordi, aut etiam pericardio præter naturaliter accreſcentia, multò evidentius, ac probabilius ſuam efficaciam oſtendunt, quam etiam *Pericardii* liquori, ab aliquibus attribui ſæpe numero video; prout enim iſte, ſi blandam ſuam naturam ſervârit, commodum lubricare, & cor in ſuo motu, quovis modo juvare, ita ſi particulis acribus, ac membranam cordis vellicantibus ſaturatus fuerit, idem turbare, & in graves ὁρμὰς ſpiritus concitare poteſt, quod ipſum à Lympha pericardii exundante provenire, Galenus author eſt, l.v. de loc. affect.

XX. Cau-

XX. *Causas antecedentes*, vel *Mediatas remotiores* quod concernit, cùm jam superius affectum hunc nervis cardiacis immediatè affectis, subsequi statuerim, dubium non est, quin affectiones spasmodicæ aliarum partium, cum quarum *nervis* arctissimam communionem, & affinitatem illi habent, *harum* nomine accusandæ veniant, sicque palpitatio per consensum, ut loquuntur, oboriatur, ceu fieri potest, in gravi *Cardialgia, verminosâ dispositione*, hystericis, nephriticis, scorbuticis, &c. pathematibus.

XXI. Pariter *antecedentes causæ* vices sustinet prævia, varia sanguinis dispositio, ac temperies, dum *ille*, vel acris nimium, mobilis, ad fermentescentiam pronissimus, vel è contrà, vappidus, lentescens, acidus, ac vitiosus in toto corpore abundat, talisque vel à primâ infantiâ existit, vel succedente ætate magis, magisque fuit generatus, & cumulatus, causis procatarcticis, & externis suum calculum strenuè huc conferentibus, quas recensere jam aggredior, ubi modò addidero, quæ de ætatis & sexus varietate, quorum ratione, adolescentes, ac juvenes præ infantulis, ac senibus, fœminæ præ viris huic affectui obnoxii dicuntur, authores Practici commemorant, maximam partem, varianti sanguinis ejusmodi dispositioni, &c. adscribenda esse.

XXII. E causis externis 1. nomino *aërem*, si vel *igneus* ille fuerit, & M. H. velociter exagitare aptus, vernus præprimis etiam, & autumnalis, miasmatibus fermentativis inquinatus, vel *frigidus* magis, & borealis, particulis suis rigidis sanguinis motum figens magis, aut crassus, ventosus, paludosus, vel etiam particulis metallicis, arsenicalibus, aut deleteriis aliis infectus.

XXIII. 2. *Cibum* & *Potum*, quæ cùm quantitate,

tum qualitate peccant, quando cibi vel ſunt craſſi, flatulenti, acidi, auſteri, ſaliti nimis, & muriatici, verbo mali ſucci, & difficilis digeſtionis, vel ſi ſunt calidi, acres, & facilè corrumpuntur aut fermenteſcunt, vel etiam chylum viſcidum, ſalſum, & acidum, vel acrem magis, qui ſanguinem ad orgaſmum diſponit, ſuggerunt. Sic legimus à cinnammomi frequentiore uſu palpitationem fuiſſe ortam, quod ipſum alia quoque fortiora aromatica præſtare poſſunt, in illis maximè, quorum ſanguinis textura rarior eſt, & à levi accedente ſtimulo in majorem impetum concitatur. *Vinum* etiam haud parum huc contribuit, imprimis recens, & quod per fermentandum nondum defœcatum eſt, ſulphuratum item, vel generoſum nimis, aut contra craſſum, multum tartari, ſecum vehens, aut facilè vappeſcens, præcipuè, ſi nimia quantitate ingurgitetur: Spiritus vini, & ſimilium uſus pariter eſt nocentiſſimus.

XXIV. 3. *Motum* & *quietem*, ſi ille vehemens fuerit, à quo non modo fluidum *cùm* humorale, *tum* animale exagitatur, ſed etiam chylificationis negotium turbatur, ita ut chylus crudus particulis heterogeneis fœtus, citius quàm par eſt, per ſua vaſa in M. S. præcipitetur, qui deinceps à ſanguine corrigi ac ſubigi non poteſt: Quies verò excrementa cumulari facit, ſanguiniſque viſciditati, & ad lenteſcendum ac ſtagnandum pronitati fores pandit.

XXV. 4. De *ſomno* ac *vigiliis* ſimiliter ſentiendum, enimvero motus particularum ſomni tempore mitior eſt, & ubi nimius fuerit, ſegneſcere, & humores ad lentorem, & coagulationem diſponere ſolet: A' *Vigiliis* autem nimiis ſpiritus animales exagitantur valdè & abſumuntur, particulæ blandæ & dulces

ces in ſanguine acuuntur , & ad acorem inclinant.

XXVI. 5. *Excreta*, & *retenta*, præcipuè ubi illa modum exceſſerint, vel p. n. in corpore detineantur; quantum enim humano corpori ex hiſce ritè habentibus, accedit commodi, tantum quoque iisdem malè habentibus, infertur detrimenti: exemplum nobis præbet ipſa palpitatio cordis, à ſuppreſſo, vel nimio menſium fluxu oriunda, in *illa* enim ſanguinis motu turbato, & naturali ejus fermentatione, vel inteſtina agitatione labefactatâ, ad vappeſcentiam inclinat, in *hac* verò particulis acrioribus ſaturatur, balſamicis, & dulcibus exhauſtis, atquè diſſipatis: Pertinet huc quoquè nimius Veneris uſus, ceu adoleſcenti contigit apud Hippocr. l.3. Epidem.

XXVII. Et 6. tandem *animi pathemata*, quorum utique in fluidi noſtri conſervatione, atque oppoſitâ turbatione magna eſt vis, ceu ex effuſo gaudio, terrore, triſtitiâ, aut etiam irâ, affatim conſtat; in *iſtâ* ſanguis ſummoperè exagitatur, rareſcit, ac cum impetu verſus exteriora propellitur, in *illis* è contrà oppoſitos motus ſubito induit, ferèque intra thalamos cardiacos conſtringitur, atque ocyus coërcitus aliquâ ſui portione grumeſcit; in gaudio verò ſusquè deque habitâ motus regularitate, omnis è ſinibus cordis exteriora verſus ruit, ſuoque præcordia vitali fluido tantum non penitus orbantur, de quibus vid. ſis pluribus Clariſſ. Willis. tr. de Brutor. animâ, it. etiam Timæum à **Guldenklee** l.2. caſ. 16.

XXVIII. Cæterum affectus hic facilè dignoſcitur, cùm ceu jam ſupra memini, ſenſibus externis ſeſe ſiſtat; arteriæ enim in collo, & cor in pectore impetuosè palpalpitans cerni pariter ac audiri poſſunt, etiam ab ad-

 ſtantibus,

ſtantibus, præprimis verò tactui ſe patefaciunt, manu carpo, vel mammæ ſiniſtræ maximè admotâ, quâ inſultus ejuſmodi violenti coſtas ferientes eâ evidentiâ percipiuntur, ut manum tangentis non rarò removeant. Id juxta moneo, in arteriis, & hinc carpo, ſufficiens palpitationis indicium nos non ſemper habere, cujusmodi Exemplum præſ. Timæus Epiſtol. 23. commemorat.

XXIX. Præterea ægri hoc affectu graviter detenti, præter dictam cordis violentam motitationem, anxietates circa præcordia perſentiſcunt, cum reſpirationis difficultate, & animi interdum deliquiis, inde etiam color faciei immutatur, ut qui modo roſeo flore oculos refecerat, in pallidum mox abeat, triſtemque luctam fontis vitalis præſagiat.

XXX. Utrum verò tam gravis mali cauſa immediatè in corde hæreat, & quænam illa ſit, an verò per conſenſum illud laboret, paucis exponere operæ pretium faciam: & quidem, aliâ in parte fomitem mali hærere, nervosque aggredi, teſtabuntur ſymptomata, quæ cum hypochondriacos (ceu ſunt anxietates circa præcordia, inflationes Ventriculi, & abdominis ſubitæ, murmura, rugitus, ac vellicationes ſpaſmodicæ, & doloroſæ vel in hypochondriis, ſiniſtro præcipuè, &c.) tum ſcorbuticos vexant, cujuſmodi ſunt modo dicti inſultus ſpaſmodici, ſed graviores, in plexibus nerveis ſplanchnicis, lymphæ item acor in tota Maſſa conſpicuus, laſſitudo artuum, ad animi deliquia pronitas, ulcuſcula in ore frequentia, &c. In nephritica diſpoſitione dolores acuti circa lumbos, qui in abdomen uſquè expanduntur, cum nauſeâ, vomituritione, &c. plus minus urgebunt, & ubi Vermes, aut alia materia incongrua inteſtina, vel orificium Ventriculi rodere inceperit,

juxta

juxta dolorem circa ſcrobiculum cordis inſignem, imò non rarò animi deliquium, tormina in imo ventre urgebunt vehementia, & quæ per alvum dejiciunt ægri, ſæpenumero peſſimum odorem ſpirant, &c. Ita apud fœminas Chloroſi, vel hyſtericis paſſionibus expoſitas, alia indicia, hiſcè ipſis affligentibus conjungi ſolita, unà aderunt, de quibus Authores conſuli poſſunt; accedit quod corde ſympathicè affecto, plerumque affectus, quorum ſoboles eſt, primùm vim ſuam exerere, neque pari diuturnitate, motus palpitantes affligere ſoleant, quin datis longioribus intervallis ægris exoptata alcyonia concedant.

XXXI. Porro à ſanguinis copiâ, vel repentinâ exæſtuatione malum proceſſiſſe, habitus corporis plethoricus, color faciei roſeus, prævius corporis motus vehemens, vel etiam animi exagitatio, cum pulſu magno, celeri, ac concitato, docebunt, pulſu minore, tardo, cum faciei pallore, ſomnolentiâ, aliisque de ſanguinis lentore ac vappeſcentia magis teſtantibus: grumeſcentia verò ſanguinis, aut coagulum, ſive prævia fluvidi intemperies acida, ſaliumque ſimilis generis in eodem prædominium (quam ex diſpoſitione ſcorbutica, vel hypochondriacâ colligi poſſe, ſuprà memini) ſive ſubitaneus terror, multaque animi ſolicitudo, aut triſtitia confirmabunt, juxta ac alia, quæ polypum etiam comitari ſolent, viz. coloris in facie immutatio, palpitationis vehementia, & pertinacia, levi de causâ noviter ſæpe numero infeſtans, pulſus non rarò intermittens, ac inæqualis, anxietates præcordiorũ, lipothymiæ, &c. ſi ab acri vellicante, vel verme rodente affectus proceſſerit, ſubitò, ac impetuosè ægrum invadet, fortè etiam morſicationem circa regionem cordis ægri perſentiſcent: ſi denique à pericardii lymphâ excedente, hydrocardiam

diam non raro inducente, ortum sumserit, juxta fluctuationem, ac pondus, quod circa cordis confinia, dum de latere in latus se componunt, percipiunt, de suffocatione continuò imminente, maliq́ue gravi pertinaciâ querelas movebunt: tubercula verò adnata, vel cordis malam conformationem conjecturari oportet magis, quàm certò prædicere, utpote quæ non nisi oculari inspectione post mortem edocemur.

XXXII. E quibus singulis, satis, ut reor, patescit, affectum hunc periculosum esse maximè, ac nonnisi dubiam prognosin instituendam, eò quod pars nobilissima afficiatur, cujus actione sufflaminatâ & magis, magisq́ue impeditâ, corruere homo necesse habet; periculi tamen minus portendit, qui causam extra cordis confinia positam agnoscit, aut etiam externam aliquam leviorem, ceu est corporis exæstuatio subita, sanguinisque concitatior motus, exercitio vehementi accersita: pariter malo à sanguinis exundantiâ oriundo adeò difficilè mederi non est: Ubi è contrà fomes mali in ipso corde hæret, aut hujus vasis, vel involucro, imò majores radices egit, gravius periculum, imò medelæ difficultatem prædicit, quamvis enim exempla dentur eorum, qui aliquandiu palpitatione cordis conflictati sunt, rarissima tamen sunt, quæ felicem eventum probaverunt: inprimis verò coagulum pertinax, aut polypus thalamos occupans, malum incurabile, ac periculosissimum reddunt, pariter uti mala cordis conformatio, aut etiam heterogeneum aliquod ipsi accretum, aut denique pericardii hydrops: Usque tamen ægri derelinquendi non sunt, sed convenientibus medicamentis sublevandi, de quibus jam.

XXXIII. Curam itaque quod spectat, secundum indicationes consuetas *Curatoriam*, *Præservatoriam*, ac

*Vitalem*

*Vitalem* ea instituenda est; *Illi* satis fit Affectus, & causæ *hujus* proximæ ablatione, *Isti* verò causæ antecedentis correctione, & si opus est vacuatione, huic verò Virium conservatione: *Sanguis* proin copiâ, vel motu effræni peccans vacuandus, infringendus, exæstuans alterandus, acris edulcorandus, viscidus incidendus, attenuandus, grumescens solvendus, salia acida in eodem prædominantia absorbenda, præcipitenda, *summa* M.H. universa volatilisanda, & ad motum blandum ducenda est, heterogenea in corde contenta eliminanda per ea, quæ materiam concretam solvere, & fluxilem reddere possunt, fibræ nerveæ irritatæ demulcendæ, spiritusque elastici redditi ad quietem componendi, liquor pericardii nimius imminuendus, & pro viribus vacuandus, irritamenta in aliis partibus vexantia vicissim corrigenda, & amovenda, habita semper diligenti ratione virium.

XXXIV. Cum autem innumera sit remediorum sive *indicatorum* series ex fontibus consuetis *chirurgico*, *Pharmaceutico*, & *Diætetico* petitorum, generaliter saltem illa nominasse, & qui indicationibus singulis occurrendum sit, indicasse sufficiet, cum prolixius me extendere ob temporis, & paginæ angustiam non liceat.

XXXV. Ante omnia accuratè notandum est, aliud *in paroxysmo*, aliud *extra paroxysmum* agendum esse. *In paroxysmo* omni studio anniti oportet, ut motus ille depravatus compescatur, ac sistatur, prospiciendo ipsi causæ immediatæ, ubicunque demum illa delituerit: hunc in finem ex Chirurgiâ ad V. S. recurrendum erit, imprimis si à copiâ, & turgescentiâ sanguinis, aut subitaneo orgasmo malum originem duxerit, & vires adhuc integræ fuerint, quod ipsum confirmat Gal. l.5. de

loc. affect. ubi V. S. omnibus remediis præferendam esse asserit. De electione venarum non multum sumus solliciti, cùm ex eodem trunco omnes scaturiant, in mensibus tamen suppressis vena tali majori cum emolumento tundi potest.

XXXVI. Obtinet etiam remedii hujus generosi usus extra paroxysmum, præcipuè in plethoricis, & sanguinis fermentescibilitate, seu mavis, facili exæstuane, ita tamen, ut modus semper servetur: similiter assuetis hæmorrhoidum fluxui, iisdem subsistentibus hirudines applicari, aut aliis eædem sollicitari possunt, nec improbamus cucurbitularum cum scarificatione usum, sicubi sanguinis copia imminuenda fuerit: In sanguinis verò majori serositate, & acrimoniâ, loco dictorum, Vesicatoriorum, ac fonticulorum ope, serosam colluviem imminuere studebit Medicus.

XXXVII. *Pharmacia* varia nobis suppeditat Remedia, pro ratione causarum prudenti dexteritate, cùm *internè*, tum *externè* usurpanda, & applicanda. *Externè* in ipso paroxysmo regioni cordis applicantur fomenta ex melissa, salvia, ocymo, roremar. flor. 4. vulgo dictis cordialibus, item flor. calendul. spicæ, lil. convall. in vino rubro decoct. quibus deinceps spirituosa penetrantia aspergi possunt, ceu sunt spiritus urinos. ✳ c. tinct. castor. liquor C. C. succin. &c. vel parantur ex aquis appropriatis v. g. ▽a borrag. bugloss. rosar. fl. 4. cordial. aq. cinnam: regin. Hungar. *Forestus l. 17. obs. 1.* in secretis habuit meliss. virid. & borrag. contritam tegulis ignitis impositam, & ▽ rosar. & ✠to irroratam, cordique hinc applicatam, unde subito cordis palpitatio cessavit. Internè *Rondeletius* laudat conservam meliss. cum theriaca, ▽ de corde cervi, bovis, ▽ rorellæ c. vino destil-

destillata commendatur ab Etmullero; alii mirè commendant rhaponticum verum ad ℈ij cum vino exhibitum, aut vinum in quo radix hujus plantæ fuerit macerata; sacculi quoque ex cordialibus commode fieri possunt. v. g. ℞. rad. zedoar. angelic. ana ℥ß. herb. meliss. rorismar. ana. mj. cinnam. cortic. aurant. ana. ʒij. croc. ʒj. camph. ʒß. ex incis. & contus. F. Nod. vino rubro incoquendus.

XXXVIII. Emplastra alii sub mamilla sinistra non inconcinnè applicant, ex theriaca; imò refert *Clariss. D. D. Craan in Praxi medica reformata p. 237.* puerum jam in agone mortis versantem linimento ex theriaca. ⊖e Card. bened. croc. & balsam. peruv. è faucibus orci liberatum fuisse. Ut jam taceam varia linimenta nervina, cardiaca, ex oleosis parata, ut oleo. caryoph. cinnam. macis, nucist. menth. camph. hyperic. succin. &c. addit. moscho regioni cordis illinenda: Hinc etiam prodest essent. ambr. c. spirit. meliss. fact. & cum appropriato vehiculo sive internè, vel externè usurpata. Si ab utero malum pullulat cucupha umbilico imposita prodest ex herbis appropriatis sic dictis parata.

XXXIX. *Internè* in paroxysmo variæ mixturæ sanguinis sive æstum refrænantes, blande alterantes, particularumq; sulphurearũ ferociam infringentes, sive eundem coagulari incipientem solventes, ac discutientes, unàque fibras irritatas demulcentes, ac spiritus vitales reficientes propinari possunt: vel sub formâ juleporum, aut emulsionum distinctis vicibus sumendarum, additis absorbentibus, ac præcipitantibus, vel etiam blandis acidis scopum eundem consequi studemus, cujusmodi parantur ex aqua 4. flor. cordial. meliss. rubi id. cinnam. bugloss. addit. syrup. acetos. citr. de rub. id. cum Tinct. corall. ac confect. de hyacinth. in sanguinis

ebullitione: è contra in ejus grumescentia ▽ scabios. chærefol. veron. cum liquor. C. C. succin. spirit. ⊖ ✱ c. Essent. ambr. addit. cinnabar. aut pulv. epilept. Marchion. &c. convenientissima sunt.

XL. Possunt de hinc, præprimis etiam extra paroxysmum, quo ad causam antecedentem, vel fomitem mali, aliis in partibus magis, quàm ipso corde hærentem, intentionem suam dirigit Medicus, complura alia ad manus sumi, quæ heîc generaliter saltem delibabo.

XLI. Ubi vermes intestina roderint, aut materiâ viscidâ eadem fuerint farcta, aut etiam alvus segnior fuerit, Clysteres ex emollientibus, & detergentibus felici cum successu injiciuntur, similiter uti in mucagine, aut viscidâ bile, aut acri alio fibras Ventriculi obsidente, ac dolorosè lancinante, vomitoria, ex tartaro emet. cum crem. tartari, & sale absynth. vel oxysacchar. emet. vel syrup. emet. Angel. Salæ cum ▽ borrag. & cinnam. ten. exhibita, &c. sunt præstantissima.

XLII. *Leniora purgantia, & abstersiva*, quibus materia in primis viis hærens eliminatur, pori glandularum ab obstructionibus liberantur, remediisque dehinc applicandis liberior, & facilior ad M. S. penetrandi via aperitur, suo etiam non carent usu.

XLIII. Ut autem viscidi, & acidi tenaces humores in hisce viis stabulantes commodius exturbari possint, non malè vulgo dicta *præparantia*, & digestiva præmittuntur, quorum ope humores viscidi inciduntur, fluxiles, & ad excernendum apti magis redduntur, ceu sunt tartarea, crem. tartar. tartarus vitriolatus, arcan. duplic. Mynsicht. ⊖ absynth. C. B. oc. 69. c. ♁ io diaph. elix. P. P. dulc. elix. P. P. Paracels. essent. absynth. essent. cent. min. essent. Carminat. Wedel. Tinct. corall. Tinct. Martis aperit. &c.

XLIV.

XLIV. Humores ita præparatos, & ad exitum dispositos *purgantia* excipiunt, qualia sunt tamarindi quos D. D. Craan in specie commendat, resin. jalap. scammon. syrup. rof. solut. comp. ex S.R.& A. cum elect. de succo rosar. pulv. laxat. veget. cryst. tartari, rhabarb. elect. Mercurio d. opt. fol. sennæ, mechoacan. agaric. trochisc. habitâ semper ratione, texturæ intestinal. plus minus teneræ, & humoris peccantis, majoris, vel minoris viscicitatis, quandoque enim resinosa ista graves turbas excitant.

XLV. In sanguinis lentore & vappescentia universim medicamentis attenuantibus, incidentibus, volatilisantibus, præcipitantibus, & absorbentibus pugnandum, quem in finem præter ea, quæ ex regno vegetabili desumuntur, inserviunt diaphoretica, & blandè sudorifera ex ♁io diaph. diaph. martial. solar. bezoard. miner. unicorn. foss. lap. bez. or. occ. cinnab. nat. & ♁ ij lap. 69. C. C. phil. ppt. pulv. absorb. Wedel. spirit. C.C. ⊖ vol. C. C. succin. spirit. ebor. tartar. spirit. theriac. camph. fuligin. tinct. bezoard. Wedel. & simil. concinnata.

XLVI. Huc faciunt etiam *Diuretica*, quibus non tantum serum à ⊖bus acidis elixiviatur, sed eadem quoquè aliter infringuntur, & præcipitantur, vel absorbentur, ac ad vias urinarias deturbantur, sed etiam ipse sanguis edulcoratur, & motu liberiore frui incipit, possuntque hæc in *hydrocardiâ*, vel maximè locum habere, ceu sunt tinct. tart. simpl. & compos. clyss. ♁ ij, arcan. dupl. Myns. sal. vol. succin. milleped. lumbricor. spirit. salis, lap. 69. arcan. tartari, tart. vitriol. item etiam ⊖lia diuretica, ononid. stipit. fabar. &c. decoct. item ex plantis addit. syrup. capill. ♀is de alth. Fernel. &c. acidulæ quoq; locũ habere possunt, vel harum loco serum lactis

 caprill.

caprill. in ſanguinis facili orgaſmo. Uſque tamen notandum circa diaphoreticorum, & diureticorum uſum liberaliores eſſe non debere, ne nimio eorum uſu ſanguinem ſero diluente prorſus privemus, atque ex uno extremo in alterum conjiciamus.

XLVII. In *palpitatione cordis hyſterica* ea ſunt præſcribenda, quæ utrumque affectum reſpiciunt, & cordialia cum uterinis combinanda, quam ob rem commendo zedoar. & enul. campan. meliſſ. roremmarin. croc. ſuccin. & hujus ſal. vol. ſpecif. cephal. diaph. mart. caſtor. it. hujus extract. vel etiam tinct. &c.

XLVIII. *In hypochondriaca, & ſcorbutica diſpoſitione* antiſcorbutica martialia & juſcula ex plantis antiſcorbuticis ſal. volat. imprægnatis optimè habent, it. decoct. lignor. ſaſſafr. guajac. rad. chin. ſarſaparill. vel eorundem eſſentia, vel extracta cum appropriatis mixta.

XLVIX. Ubi *polypus* in corde hæſerit, volatilibus, reſolventibus diu ſæpe certandum eſt, ſemper tamen cavendo, ne ſanguinem nimis agitando malum augeſcere faciamus, unde Medicus prudenti remediorum ſelectu, hoſtem hunc eliminare ſtudebit: eundem in finem *Amuleta* ex camphora commendantur, idque non citra rationem, pollet enim inſigni penetrandi vi: vel etiam *Epithema* ex ſpir. vin. rectific. liquor. C. C. ſuccin. ſal. vol. ſucc. camph. &c. paratur cordi calidè applicandum.

L. Reliquum eſt *Diæta*, quæ in ſex rerum n. n. decenti uſu conſiſtit; *Aer* ſit temperatus, purus, optimè ventilatus, *vitetur* boreal. frigid. craſſus, item nebuloſus, & impurus, vel *corrigatur* hic ipſe ſuffimentis ex bacc. vel ligno juniper. maſtiche, ſuccino præparatis, ſi ſit nimis ſiccus conclave ▽a, vel floribus impr. cordialibus, vel etiam fol. ſalicis &c. conſpergatur. Cibi

ſint

ſint boni ſucci, & facilis concoctionis, in paroxyſmo parcè comedant, ſed citò reficiantur, extra paroxyſmum cibi ſint cauſæ morbificæ contrarii, vitentur hinc craſſi, fumo indurati, ſaliti, acidi, facile fermenteſcentes, aut ad corruptelam proni, quorum ſeriem apud authores vid. ſis. Par ratio eſt *potus*, vinum craſſum, tartareum, acidum fermenteſcibile exulet, vitetur vinum generoſius, & omnes ſpiritus nimis ardentes, &c. loco hujus conducit vinum tenue, vetus, roborandi, & reficiendi vi præditum, vel etiam parantur vina medicata, ſæpe etiam præſtat loco vini decoct. lignor. aut ſolius radic. chinæ cum tantillo cinnam. uti. *ſomnus*, & *Vigiliæ* ſint moderatæ, ut ſtatui naturali nulla inde labes accerſatur; Idem etiam de *Motu* & *Quiete* intelligendum eſt. *Alvus* ſit lubrica, menſes in fœminis pariter atque hæmorrhagiæ conſuetæ, vel hæmorrhoidum fluxus in Viris quantitati, qualitati, motui, tempori, & loco ſolito reſpondeant. Nec minor cura habenda eſt Animi pathematum, quantum enim ex horum vehementia imminet periculi, tantum viciſſim ex eorundem moderamine ægris accedit commodi, ſumma obtinet heic aureum Hippoc. effatum: Πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον τὸ δὲ μέτριον ἀσφαλές, &c. Et hæc ſunt quæ pro præſenti inaugurali diſputatione proponere volui, Deo pro ſummis in me collatis beneficiis

*Sit laus, honor, & Gloria.*

Quid-

Quidquid in abstruso retinent Parnassidis antro
Montis in Aonii degentes culmine Musæ.
Quid Pan, quid Nymphæ, quidquid Tibi fidus Apollo
Quid demum Pallas, quidquid sine matre Minerva
Abscondêre aliis, nec non secreta volebant,
Naturæq; cahos, cæcis ambagibus aucta:
Esse Tuum voluêre Dii, cognoscere causas
Morborum varias, & dignam Pœone Prolem.
Propugnant alii tremulum, tremulante Minerva,
Pulsantis Cordis motum, tu spicula firmo
Assumis vultu, intrepidusq; simillima reddis
Hostibus, Adversis redeunt quasi Collibus icta.
Parce Minerva! tuam jam jam tibi transfero sedem,
Montes in Petras, & erit tibi Felsia rupes;
Nam voluêre Dii magnos vocitare gigantes.
Dignus Apollineâ redimantur tempora Lauro:
Sic Tibi serta parent doctæ frondentia Musæ.
Hoc precor, & meritos nunc & sortitus honores.

Ita vovet & gratulatur sincerè
JOH. GEORG. JOSEPH. SCHWALLER,
Philos. & Medic. Doctor. Archiater,
& Consiliar. Solodoran.

*FINIS.*

